

Caproncensium Anni ejusdem; reliquique in eisdem citati, confirmati effectuentur, cum ea declaratione, ut in priori Articulo scilicet 97. Generalatus et Colonelatus subintelligantur et comprehendantur; Generalatum et pari numero Colonelatum primis vacantibus, juxta Articulos superinde conditos ratio habeatur; communibus suffragiis, accedente etiam suae Majestatis annuentia, conclusum est.

De Bonis Frangepano-Fiscalibus, ac aliis a Jurisdictione Regni non avellendis.

Articulus 71.

Ut Bona Frangepano-Fiscalia, tam maritima, quam Croatica ac alia quaevis, intra limites Regni Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae existentia, hucusque ad manus Fisci Regii deventae, sive ea prae manibus Fisci Regii, sive aliorum quorumcunque sint, a Sacra Corona et Jurisdictione solita Regni non avellantur, neque per ullum, cum praejudicio et derogamine ejusdem Coronae et Regni possideantur; imo semper legibus et oneribus Regni praetacti, sint subjecta; communibus votis determinatum est. *)

De educatione Militis ex Arce Varasdiensi Articuli sanciti in effectum deducendi.

Articulus 72.

Ut miles Germanus, juxta Articulum 99. An. 1659. et alios in eodem citatos, ex Arce Varasdiensi educatur; annuente etiam sua Majestate conclusum est etiam nunc.

§. 1. Quod sua Majestas benigne (ne Articuli sine fructu conditi esse intelligantur) mediantibus suis benignis Mandatis, eo in passu ad Excelsum Consilium Bellicum Graecense expediendis et dirigendis; quantocyus peragi curare dignabitur.

Depascuatio Foenilium, tot Articulis vetita, ut tandem tollatur; sancitum est.

Articulus 73.

Et licet depascuationes Foenilium, diversis Articulis, signanter vero 98. Anni 1659. et aliis in eodem attactis (tam per Milites Generalatui Varasdiensi, quam Carlostadiensi subjectos abusive inductae) tollendae declaratae extitissent; eadem nihilominus non absque gravi damno Regnicolarum hucusque sublatae non essent; imo ad ruinandam miseram plebem non solum abusivo quodam modo, ad Festum Sancti Joannis Baptistae exerceri solitae usurparentur; verum etiam usque ad

*) Confirmatur; An. 1687. a. 22. Huc refer; An. 1741. a. 52. Item; An. 1715. a. 44.